UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum opponatur clementiæ? 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

Visual Library

ARTIC. I.

774 *Vtrum crudelitas opponatur clementiæ?*

Inf. a. 2. AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd crude-
ad 1. litas non opponatur clementiæ. Dicit enim Se-
li. 2. c. 4. neca* in 2. de clementia, quod illi vocantur crude-
les, qui excedunt modum in puniendo: quod con-
trariatur iuſtitiæ. Clementia autem non ponitur pars
iuſtitiæ, ſed temperantiæ. Ergo crudelitas non vide-
tur opponi clementiæ.

¶ 2 Pręterea, Ierem. 6. dicitur, Crudelis eſt, &
non miſerebitur: & ſic videtur quòd crudelitas op-
ponatur miſericordiæ. Sed miſericordia non eſt idem
q. 157. a. clementiæ, vt ſupra dictum eſt *. Ergo crudelitas nõ
1 & a. 4 opponitur clementiæ.

ad 3. ¶ 3 Præterea, Clementia conſideratur circa in-
q præc. a. flictionem pœnarum, vt dictum eſt †. Sed crudelitas
1. & a. 4 conſideratur in ſubtractione beneficiorum, ſecundum
ad 3. illud Prouer. 11. Qui autem crudelis eſt, etiã propin-
quos abijcit. Ergo crudelitas non opponitur clemen-
tiæ.

li. 2. c. 4. SED contra eſt, quod dicit Senaca in 2. *de Cle-
in prin. mentia, quòd opponitur clementiæ crudelitas: quæ
nihil aliud eſt, quàm atrocitas animi in exigendis
pœnis.

RESPONDEO dicendum, quòd nomen cru-
delitatis à cruditate ſumptum eſſe videtur. Sicut au-
tem ea quæ ſunt cocta & digeſta, ſolent habere ſua-
q 157. a. uem & dulcem ſaporem: ita illa quæ ſunt cruda, ha-
4. ad 3. bent horribilem & aſperum ſaporem. Dictum eſt
& ar. 3. autem ſupra, quòd clementia importat quandam ani-
ad 1. mi lenitatem ſiue dulcedinem, per quam aliquis eſt
diminutiuus pœnarum. Vnde directe crudelitas cle-
mentiæ opponitur.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut diminutio
pœnarum, quæ eſt ſecundum rationẽ, pertinet ad epij-
kiam, ſed ipſa dulcedo affectus, ex qua homo ad hoc
inclinatur, pertinet ad clementiam: ita etiam ſuper
exceſſus pœnarum quantum ad id, quod exterius agi-
tur,

tur, pertinet ad iniuſtitiam: ſed quantum ad auſteritatem animi, per quam aliquis ſit promptus ad pœnas augendas, pertinet ad crudelitatem.

Ad ſecundum dicendum, quòd miſericordia & clementia conueniunt in hoc, quod vtraque refugit, & abhorret miſeriam alienam: aliter tamen & aliter. Nam ad miſericordiam pertinet miſeriæ ſubuenire per beneficij collationem. Ad clementiam autem pertinet miſeriam diminuere per ſubtractionem pœnarum. Et quia crudelitas ſuperabundantiam in exigendis pœnis importat, directius opponitur clementiæ quàm miſericordiæ: tamen propter ſimilitudinem harum virtutum accipitur quandoque crudelitas pro immiſericordia.

Ad tertium dicendum, quòd crudelitas ibi accipitur pro immiſericordia, ad quam pertinet beneficia non largiri. Quamuis etiam dici poſſit quod ipſa beneficij ſubtractio, quædam pœna eſt.

ARTIC. II.

Vtrum crudelitas a ſæuitia, ſiue feritate differat?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd crudelitas a ſæuitia ſiue feritate non differat. Vni enim virtuti ex vna parte vnum vitium videtur eſſe oppoſitum. Sed clementiæ per ſuperabundantiam opponitur & ſæuitia & crudelitas. Ergo videtur quòd ſæuitia & crudelitas ſint idem. *775 Supra q. 257 a. 1. ad 3.*

¶ 2 Præterea, Iſidorus dicit in lib. * Etymologiarum, quòd ſeuerus dicitur quaſi ſæuus & verus, quia ſine pietate tenet iuſtitiam: & ſic ſæuitia videtur excludere remiſſionem pœnarum in iudicijs, quod pertinet ad pietatem. Hoc autem dictum * eſt ad crudelitatem pertinere. Ergo crudelitas eſt idem quod ſæuitia. *lib. 10. c. 18. cuius initium eſt, ſapiens cir. med. Ar. præc. ad 2.*

¶ 3 Præterea, Sicut virtuti opponitur aliquod vitium in exceſſu, ita etiam & in defectu. Quod quidem contrariatur & virtuti quæ eſt in medio, & vitio quod eſt in exceſſu. Sed idem vitium ad defectum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN